



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LXVII. De Juramento ab Hæreticis extorto, & præstito in fide veri
Nobilis &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS XXIV.

De Jurejurando.

DECISIO LXVII.

De Juramento ab Hæreticis extorto, ac præstito tum ab Ecclesiasticis, tum à Nobilibus per verba, in fide veri Nobilis &c.

SPECIES FACTI.

Nobilis Germaniæ Civitas, majorem partem tum temporis Catholica, à Sueco milite occupata præsidium hostile recipere, & in hanc formulam jurare coacta est: Promitto, me Regno Sueciæ, ejusque Confœderatis, & junctis, semper & omnimodo fidelem, ac amicum futurum, & subjectissimam obedientiam, ac sinceram fidelitatem præstaturum; nec adversus prædictum Regnum Sueciæ, ejusque provincias, & subditos, item Confœderatos ac unitos, periculosis consiliis, proditiionibus, fraudibus, aliisque modis, per me, vel per alios aliquid tentaturum, cogitaturum, locuturum, consulturum, vel acturum: ejusdè Regis ac Regni, Provinciarum, Subditorum, Confœderatorum, commodum ac emolumentum omni tempore, & omni modo, totis viribus promoturum, damna verò ac perniciem absque ulla exceptione impediturum ac averfurum. Huic promissioni debebant Ecclesiasti-

ci, nimirum Prælati, Abbates, Canonici & Religiosi subjungere formale nomen in hac formula: Sic me Deus adjuvet, caraque mihi sit æterna pro Nobilibus verò his verbis: *Ich beehelbe mich sub fide Nobili, bey metnen löblichen Ehren/ Treu/ und Wohlstand.* Cùm verò multi Catholici, hoc nomen sibi illicitum esse rati, præstare renuerent, eò quòd videbatur adversari conscientiæ, SS. Canonibus, Religioni Catholicæ, ac obedientiæ legitimis suis Superioribus, Gubernator Urbis & Communitatis Suecici semel atque iterum expressè declarârunt, Regem suum non esse obedientiam & subjectionem, nisi politicis, ut securus sit à proditiionibus, & collusione cum hostibus: neque conscientiis aut Religioni aliquod contrarium perere, aut Canonum libertata imminuere velle. Postquam verò multi Catholici audita hac declaratione jurârunt sub prædicta formula, Suecici Commissarii alios & alios

hoc Ecclesiasticos aggressi sunt, juramentum exigentes cum declaratione, se postulare fidelitatem & obedientiam subiectissimam, ejurandum esse Pontificem & Episcopum, omnéque cum illis commercium: cum autem Catholici peterent, ut sibi quoque liceret jurare secundum declarationem illis factam, qui prius jurarunt, & prorellati fuerunt de non aliter jurando, illi illi negarunt, addentes, se protestationes & declarationes illas nihil curare, Quo intellecto nulli amplius

Ecclesiastici vel Religiosi juramentum illud præstiterunt, sed ex urbe maluerunt emigrare. Duæ nunc proponuntur quæstiones decidendæ. I. An à Catholicis potuerit licitè præstari præfatum juramentum, saltem seclusa ultima declaratione Suecorum? qua stante nullus utique potuit licitè illud amplius præstare. II. An formula Nobilium, *bey meinen Adelichen Ehren/ Treu/ und Glauben/ sit verum juramentum?*

QUÆSTIO I.

An Catholicis fuerit licitum præstare hoc juramentum seclusa declaratione ultima Suecorum?

A Sat multis quidem hujusmodi juramentum pro illicito habitum est, nec sine speciosis argumentis; siquidem I. Certum est, juramentum de re illicita fieri licitè non posse, & promissionem rei inhonestæ, vel actionis peccaminosæ, non stringere, ut ut jurata sit; cum juramentum non sit vinculum iniquitatis, c. 18. X. de Jurejur. & non sit obligatorium contra bonos mores præstare juramentum, c. 52. de R. J. in 6. atqui in præfato juramento promittebantur multa illicita, inhonestæ, & peccaminosæ, uti omnimoda fidelitas & amicitia cum hæreticis, & obedientia subiectissima iisdem præstanda, quos multa illicita imperaturos præsumi facillè potest ac debet. Promoveatur argumentum hoc II. Juramentum pro viribus promovendi commodum, & impediendi perniciem eorum, quo-

rum commodum in Germania non est aliud, quàm occupatio, detentio, spoliatio bonorum & jurium Ecclesiæ ac Imperii Catholici, ipsaque hæresis propagatio; perniciem verò non alia, quàm dictorum bonorum & jurium recuperatio, defensio & conservatio Religionis Catholicæ, atque hæresis extirpatio, ad quam extirpationem obligat Jus Divinum & Naturale: ergo Juramentum hujusmodi, quo promiserunt Catholici promovere commodum Suecorum & Confœderatorum, & perniciem ab iis avertere, est sacrilegum & omnino illicitum, ut per se patet. III. In omni promissione & obligatione saluum esse debet jus Superioris, c. 19. b. t. cum à subdito nihil possit præjudicari vel detrahi auctoritati Superioris, ut habet communis: sed jurantium Catholicorum Superiorum

res fuere Pontifex, Cæsar, Episcopus, Prælati Religionum, & horum jus, auctoritas, & superioritas lædebatur fidelitate capitalibus illorum hostibus promissâ. Dein ejuratio consiliorum, omniumque etiam cogitationum, quæ possent hostilibus consiliis, conatibus & progressibus obesse, videtur inexcusabilis; cùm Catholici, præcipuè Ecclesiastici, obligentur Jure Divino ad defensionem Religionis Catholicæ, & ad oppressionem hæreticorum. IV. Illa verba juramenti, *omni modo, semper, absque ulla exceptione*, se ita servaturum, non patiuntur ullam limitationem, exceptionem, restrictionem, quæ forsan servire possent ad salvandam conscientiam Catholicorum dicto modo jurantium: ergo ex nullo capite permitti ipsis potuit hoc juramentum, V. Sueci per ultimam declarationem satis indicârunt, qualis fuerit ipsorum intentio, dum à primis exegerunt juramentum, & quòd falsò adjecerint, Regem non plùs exigere, quàm subjectionem in politicis ad cavendas proditioes & collusiones cum hostibus: atque non syncerè hanc limitationem à Suecis fuisse adjectam, præsumere debuerant primi jurantes Catholici, utpote non ignari, Suecos querere perniciem Catholicorum, & Religionis Catholicæ: ergo etiam primi omiſsa protestatione frustranea reculare juramentum debuerant.

Antequam meum hac in re animi sensum aperiam, animadverto cum P. Henrico Wagnereck, qui in *Commentario suo exegetico ad c. petitio 31. b. t.*

hunc ipsum casum egregiè discussit & Nota IV. sic discurrit: Jure Naturali licitum est, ut ex duobus malis eligatur, quod minus est: & metu majoris mali non solum sustinendum est minus malum, sed etiam metu majoris mali omnia promitti, fieri, & præstari possunt, quæ peccatum non involvunt; nam tali casu electio, promissio præstatio hujusmodi rei non referuntur ad malum, quod intendit hostis, sed ad conservationem, vel recuperationem boni, aut juris, cujus pars amittitur, ne totum pereat: quæ intentio est, & esse debet legitimi justique Superioris, qui ægrè ferre non potest, sed verè & ratum habere debet, si filii subditi ab hoste oppressi se & sua, quæ Principis sunt, quoad publicam conservationem, tempore servientes, præsertim tempestivis conatibus hosti resistendi rei summa in majus, aut fortius, minus discrimen adducatur. Atque hæc lumine Naturali, ut ait, nota. Jure Gentium recepta sunt, ut ad allegationibus vel argumentis non opus sit.

His suppositis loquor & cum præfato insigni Theologo ac Canonista, in prædicto Suecico, quovis simili juramento nihil illicitum contineri. Ratio est; quia hoc juramentum à Catholicis præstitum est metu majoris mali, & studio Religionis Catholicæ conservandæ, in quo tum fieri poterat, modò id præstare voluissent, si præsumendi sum, ipsi assererent: neque verba formaliter jurandi in illis circumstantiis præstata

Ab ipſis Commiſſariis Suecicis illud exigentibus declarata, quòd nihil contra conſcientiam, Religionem Catholicam, SS. Canones, aut obedientiam legitimis Superioribus debitam poſſet à jurantibus, peccatum involvere: ergo absque culpa, imò cum laude, cum ſic majus malum evitaretur, preſtitum fuit hoc juramentum. Atque ſic ſenſerunt non pauci Theologi ſuper hoc juramento interrogati.

Conſideratur ex c. 31. h. t. cit. ubi Princeps Sæcularis à Canonicis Eccleſiæ Antiochenæ tum vacantis ex metu conſpirationum contra ſe extorſit juramentum, quòd contra ipſum de cætero non eſſent. Interrogatus ſuper hoc juramento reſpondit Pontifex, Canonicos vi hujus juramenti ſolum obligatos fuiſſe ad abſtinendum à machinatione, per quam Princeps vel leſionem perſonæ ſuæ, vel amiſſionem Principatûs incurrere poſſet vel deberet: non verò ad abſtinendum à deſenſione juris vel honoris Eccleſiæ ſuæ aut proprii, ſi Princeps Eccleſiæ, vel ipſorum jura aggrediretur: neque Papa dixit, Canonicos illicitum jurâſſe; cum Princeps (licet non ita diſcretè mentem ſuam declaraverit, ſicut Sueci declarârunt) per juramenti executionem unicè ſpectaverit perſonæ & Principatûs ſecuritatem: ergo etiam in noſtro caſu generalitas verborum, quæ in formula juramenti continebantur, à jurantibus rectè fuit reſtriçta ad obedientiam ac fidelitatem duntaxat politicam, utpote ſpectantium præciſè Regis & Regni Suecici, ejusque Miniſtro-

rum, Exercituû, Conſederatorum, Provinciarum ſecuritatem à machinationibus fraudulentis & proditionibus, à quibus abſtinere non erat peccaminofum: ergo hoc licitè fuit juratum, ſalvâ interim obedientiâ erga legitimos Superiores, Religionis Catholicae ſtudiò, profeſſione, conſervatione &c. quantum per illas circumſtantias fieri poterat, in cujus præjudicium nihil jurare volebant, aut re ipſa jubebantur; cum ad hoc non neceſſariò fuerint extendenda verba juramenti, maxime poſtquam acceſſit diſerta ſenſûs à Suecis intenti declaratio.

Nec aliud evincunt argumenta contraria, in ſpeciem diſſicilia; nam Ad I. negatur *Minor* ex paulò antè explanato verborum juramenti ſenſu, ſolum politicam obedientiam, indeclinabilem pro tunc, & ſecuritatem hæreticorum, qui victores tum erant, à fraudulentis contra ipſos machinationibus exigentium. Imò hæc obedientiæ promiſſio in illis circumſtantiiſ fuit genus fidelitatis Pontifici, Eccleſiæ, Religioni, Cæſari debita; nam ad tempus hoſti ſe ſubjicere ad vitandum majus malum, atque illius imperia, quæ in ſe peccatum contra Jus Naturale ac Divinum non continent, exequi eſt conſervare Religionem Deo, ſubditos Cæſari, res proprias ſibi, quod vel maxime Superiores legitimi velle præſumendi ſunt, atque ſic potiùs obedientia ac fidelitas præſtatur legitimis Superioribus, quàm hoſti, quem ſolum materialiter reſpicit talis ſubjectio, & tanquam medium ad obedi-

enti.

entiam legitimo Superiori ac Religioni debitam hinc & nunc exhibendam.

Ad II. Esto, quod secundum intentionem Suecorum non fuerit aliud illorum in Germania tunc temporis commodum vel pernicies, negatur tamen, quod juramentum fidelitatis ab iis præstitum, qui alio modo meliori Religionem tueri non poterant, nec hæreticorum impedire victorias & intentiones, fuerit sacrilegum; cum ex una parte in juramenti formula nihil de illa hæreticorum intentione fuerit expressum, nec etiam aliquid conscientis Catholicorum adversans, & ideo nihil tale voluisse præsumendi fuerint, quin inò omnia talia per apertam declarationem excluderunt; ex altera verò parte juramentum ex necessitate & metu majoris mali præstitum sit cum restrictione generalitatis verborum ad politica, & ad civilem duntaxat fidelitatem: quo pacto melius fuit consultum & Religioni Catholicæ, & legitimis Superioribus, & ipsis jurantibus.

Ad III. Negatur *Minor*, cum sic Religionis & Superiorum legitimum, quod intendebatur per juramentum, jura melius fuerint conservata, & jam suppressa facilius suo tempore recuperandi spes esset, ne omnia in perpetuum vel perderentur, vel in majus discrimen adducerentur. Neque ejuratio consiliorum, cogitationum, conatum hosti adversantium ulterius extendebatur, quàm ne aliquid attineretur fraudis, vel prodii-

tionis, & cum majori damno periculo Religionis, Ecclesiæ, Filium, legitimi Principis Subditorum quod per fidelitatem hosti quoad politica promissam & interim extoritur præcavere poterant jurantes & verabant; quod prudentiæ opus est, repugnans fidelitati legitimis Superioribus debita, sed potius ad illam pertinens.

Ad IV. *Neg. Antec.* nam generalitas adhuc verificatur, si ad omnia politica, & conscientis jurantium adversantia, tantum extendatur, verò ad illa, quæ nec juramenti intentio, nec juramentum exigens expressio, & postmodum etiam declaratio, comprehendebat, designabat. Etiam illud juramentum quod Princeps Antiochenus à Canonicis in *d. c. 31.* exigebat, quod *cetero contra ipsum non esset*, universale & generale, cum acceptum haberet huic, quod *in nulla re ipsum futuri sint*, & tamen Papæ declaravit, hoc juramentum se extendisse ad ea, quæ juri Ecclesiæ vel ipsis Canonicis præjudicabatur.

Ad V. Subsecuta Suecorum declaratio, utpote generalitatem juramenti expressè extendens ad ea, quæ in se erant illicita & conscientis Catholicorum repugnantia, utique ad illicitum juramentum, & ideo à Religione Ecclesiastica amplius depositum, recusatum est, & electum extorcentium Primi autem jurantes, primæ Suecorum declarationi inhaerentes, &

stura declaratione ac interpretatione
perverta nihil scientes, licite omnino
jurant; cum tam diu praesumendum
sit illicita non comprehendi in gene-
rali formula jurandi, quamdiu mani-
feste non proditur extensio ad illicita.
Quod Sueci tam pravam intentionem
habuerint, quando à primis exigebant
juramentum, non constitit, & ideo
praesumptio erat in contrarium, & à
jurantibus rectè in mente excludeban-
tur illicita à suo juramento. Neque
dicit, Deum, qui interna scrutatur,
accipere juramentum in eo sensu,

quem intelligit ille, cui juratur. *can.
quacunque 9. caus. 22. q. 5.* ergo
DEUS acceptavit juramentum secun-
dum intellectum Suecorum, non
secundum intentionem vel protesta-
tionem jurantium. Nam *d. can. 9.* lo-
quitur de eo, qui dolosè jurat, &
fallaci acceptione juramenti alterum,
cui jurat, deludere conatur. Catholici
non jurarunt dolosè: nec bona fuisset
intentio ac intellectus, quem DEUS
acceptasset, apud Suecos, quibus ju-
ratum est, si jam initidè ita intellexissent
juramenti à se praescripti formulam,

QUÆSTIO II.

An promissio, quam Nobiles faciunt sub fide Nobili,
bey ihren Adelichen Ehren: guten Glauben und Trauen &c.
involvat juramentum?

MULTI sanè gravesque Doctores
hujusmodi modum loquendi
comparant, & pro vero juramento
habent, uti Speculator in *tit. de Ar-
bitr. §. fin. vers. sed quid si.* Joan. Andr.
& Ant. Butr. in *c. cum tempore de Ar-
bitr.* Alex. Alciat. & Jas. in *l. si quis
major 4. c. de transact.* ubi commu-
nem dicunt. *Surdus decis. 234. n. 4.*
Math. Coler. *de process. execut. p. 1.*
c. 16. n. 248. 251. Gail. l. 2. observ.
59. n. 1. segg. Richter decis. 33. cum
Facultate Jurid. Lipsienfi mense Julio
1629. Mynf. cent. 1. observ. 17. n. 4.
Et ubi ex Baldo dicit, *speciem jura-
menti esse, si quis dicat, assero per fidem
meam: Et in verbo veritatis.* Myler
ab Ehrenbach, Cothman, Hering.
(R. P. Pichler Decisiones.)

apud Stryck. in *Ufu mod. Pand. lib.
XII. tit. II.* & multi alii apud Brunem.
Conf. 1. n. 48. & Berlich. *p. 2. concl. 21.*
à n. 36. quod maximè procedere ajunt
in Principe aliquid promittente sub fide
sua, vel *vel sub fide veri Principis.*
Menoch. Nevizan. Bursat. Cravetta &
alii apud Sturd. *n. 9. segg.* eò quòd
Princeps debeat esse immobilis, sicut
polus in coelo, item Mynf. *lo. cit.*
Item apud Comites, Barones, No-
biles, Doctores, & Personas alias ho-
noratiores utriusque sexûs. Colerus
n. 289. & alii apud Berlich. *n. 37. 38.*
Certè hujusmodi formulis, bey un-
seren Fürstlichen / bey meinen
Gräfflichen / Freyherrlichen / oder
Adelichen Ehren / Treu und Glaus-
ben/
Z z

ben/ multum tribuit notissima Germaniæ consuetudo, ita ut instar juramenti promittentem obligare statuatur prædicti DD. & hanc consuetudinem in Camera Imperiali receptam esse testentur Andr. Gail *obsero. cit. n. 6.* Mynf. *cent. 1. obsero. 47.* Meichsnerus *decis. Imper. decis. 1. n. 3.*

Probant I. Ex c. *ad aures 3. de his, quæ vi.* ubi renuntiatio aliàs infirma consolidari dicitur, *si juramentò, vel fide interposita, sit confirmata:* ergo fides interposita æquivalet juramento, & idem est, sub juramento aliquid promittere, ac sub fide sua. II. Ex l. *si quis major 41. C. de transact.* ubi æqualiter puniuntur, nempe infamiam incurrunt & actionem amittunt, qui contraveniunt transactioni, atque per salutem Principum eam confirmârunt: ac qui *invocatò Dei Omnipotentis Nominis* confirmârunt: ergo idem est sub juramento & sub fide Principis, Comitum, Nobilis &c. aliquid affirmare vel confirmare. III. Ex recepta passim consuetudine, præsertim in Germania, ubi formula, *hey Adelichen Ehren/ bey meiner Treu und Glauben/* apud Nobiles & Illustres vel alias egregias Personas, loco juramenti exigitur, & admittitur, ac pro juramento habetur, ita ut renuntiatio v. g. quæ aliàs de Jure exigat juramentum, non minus censeatur firmari per fidem Nobilem interpositam, ac per juramentum, atque contraveniens puniatur æquè, ac juramentum violans. IV. à pari: Quando fit promissio, renuntiatio v. g. hæ-

reditatis &c. per formulam an *Eydsstatt/ ich gelobe an Eydsstatt* &c. censetur præstari verum juramentum, & taliter facta promissio, renuntiatio, asseveratio, utpote in vim juramenti præstita, vim & effectum juramenti obtinet secundum consuetudinem Germaniæ, ita ut contraveniens eam quam perjurus puniatur, & Camera Imperialis relaxationem juramenti necessariam esse crediderit illi, qui hæc dicta formula aliquid asseruit. *Movius p. 1. Decis. 146. n. 7.* Stryckius *usu mod. Pandect. lib. 12. tit. 2. §. 10.* Rutger. Roland. *de Commissur. p. 7. l. 2. c. 11. n. 30. 40.* quia intentio eorum qui hac formula utuntur, est juramentum & juramentò sua dicta firmare; hæc intentio eadem est eorum, qui hæc hanc clausulam suis dictis adjiciunt, & stulant. V. Ex ratione; quia juramentum potest modis, etiam sola mente, vel dicendo, promitto hoc in illud in veritate. Abbas in c. *At si filius de jurejur.* Corfet. in *ruir. de jurejur. colum. 5. vers. quæro sextio. Decis. 234. n. 4.* ergo etiam per verum in fide Nobili, Illustri, Comitum, Principum &c. cum intentio sic sua dicta promittentium, vel tales formulas detestantium vel exigentium, vel admittentium, sit jurare vel jurari. Id quod proxime VI. procedere videtur apud Principes, eò quòd in his nihil expresse præfulgeat quàm recta fides, & claras. *C. de Summa Trinit. §. fidei. C. thol.* & Princeps debeat esse immutabilis, sicuti polus in cælo, & lapidus angularis in terra. *Surd. n. 10. con. 10.*

Ruin. conf. 13. n. 20. seq. Item VII. Apud Nationem Germanicam, quæ ab antiquo fidei interpositam, Treu und Glauben / tanti semper fecit, ac alie Nationes ipsum juramentum. Richter loc. cit. n. 6. Denique VIII. falsum asserens vel promittens sub fide sua puniri meretur ut perjurus, præsertim Princeps (consequenter & Illustres ac Nobilis) Andreas Gail n. 6. §. 7. id probans ex praxi Camera & cam. juramenti 12. caus. 22. q. 5. ibi: Dominus inter juramentum & loquelam nullam vult esse distantiam: quæ sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nonnullam debet esse mendacium; quia utroque & periculum & mendacium Divini Judicii poenâ damnatur, dicente Scriptura (Sap 1.) Os, quod mentitur, occidit animam: quisquis ergo verum loquitur, jurat; quia scriptum est (Prov. 14.) Fidelis non mentitur: ergo.

His tamen non obstantibus verior est aliorum D. D. opinio, quod hæc formula, bey Fürstlichen / Gräfflichen / Adelichen Ehren und Glauben / juramentum non sint, nec juramento penitus æquivalent per se, sed tantum enixiorem servandæ fidei expellionem contineant: ut adeo contraveniens asserito vel promisso hujusmodi verbis firmato perjurus proprie non efficiatur, nec poenis perjurii subiaceat, nec etiam sufficiat talis formula ad firmandum contractum vel pactum, aut in aliis negotiis, ubi Jura Juramentum exigunt. Glos. in c. peult. de jurejur. Imola

in c. cum tempore, col. 1. de Arbitr. n. 2. Felin in c. querelam col. 3. de jurejur. Corset. in rubr. ejusd. tit. ubi vocat communem. Covarruv. in c. quamvis de Pact. in 6. p. 3. §. 2. n. 9. cum Cajetano, in 2. 2. q. 89. art. 6. Alciato, Dom. Soto. &c. item Joan. Torre de pactis futurae successionis lib. 2. c. 8. per tot. Samuel Stryck. in usu mod. Pandect. lib. 12. tit. 2. §. 15. & tract. de filia Nobili renuntiante, c. 3. n. 11. 12. Frantzk. ad ff. tit. cit. n. 27. Gerbet de cautelis Juramentor. p. 2. Sect. 1. c. 2. n. 33. Carpz. in Jurispr. for. p. 2. const. 36. def. 9. n. 2. Gravæus & Fabricius ad Gail. lib. 2. observ. 59. Max. p. 1. decis. 132. & decis. 146. n. 2. Berlich. p. 2. concl. 21. n. 39. Andr. Rauchbar in suis qq. p. 1. q. 34. n. 16. Hartm. Pift. l. 4. q. 6.

Ratio est I. Juramentum ex sua essentia est invocatio Dei in testem, seu jurare est dictum suum confirmare invocato Deo in testimonium, si-ve dein Deus ipse immediatè vocetur in testem, si-ve per aliquam creaturam, in qua Deus singulariter relucet, ut habet communis cum S. August. de Sermon. Domini in monte c. 17. & S. Thoma 2. 2. q. 89. a. 1. ut si dicatur, bey Gott / bey meiner Seel / per Deum, per Cælum, per Fidem Catholicam, per S. Evangelium, per Deiparam, per Sanctos, per Animam meam &c. vel: sic me Deus adjuvet &c. Sed Deum nec in se, nec in aliqua creatura, in qua Deus, vel aliqua Divina perfectio Veracitatis, Bonitatis &c. specialiter reluceat, in testem invocatur, qui aliquid asserit vel promittit per fidem suam, bey seinen Adelichen

chen Ehren/ Treu und Glauben etc. neque hujusmodi verba implicite saltem hanc Dei invocationem in testem significare videntur: ergo non sunt juramentum, nec æquiparantur juramento in se & per se. Confirmatur: Juramentum non est, quando aliquid firmatur per tale quid, quod est commune Christianis ac Gentilibus Paganis, & Ethnicis (nisi nimirum sit tale quid, in quo utrique agnoscunt specialiter relucere perfectionem veri Dei, fallentem vindicantis &c.) cum isti utpote verum Deum non agnoscetes, verum juramentum præstare nequeant: sed sua verba firmare per interpositam fidem suam est firmare per aliquid æquè Gentilibus, Paganis, Ethnicis, atque Christianis conveniens, & utrisque commune, in quo non agnoscunt specialiter relucere perfectionem veri Dei fallentem punientis &c. ergo

Ratio II. petitur ab exemplo Imperatorum, apud quos non sufficit, si Capitulationes suæ Electioni præmitti solitas confirmant interposita fide, sed requiritur insuper verum juramentum; nam in fine omnium Capitulationum debent ponere hæc verba concepta: bey Unseren Königlichchen Ehren und Wården / und Worten / im Nahmen der Wahrheit zugesagt / inmassen Wir dann das mit einem leiblichen Eyd zu GOTT und dem heiligen Evangelio geschworen &c. ergo jurare contradistinguitur, & plus dicit, quàm interpone e fidem suam Imperatoriam, Regiam, Illustram, Nobilem,

Ratio III. sumitur ex c. quædam de Pact. in 6. c. 6. c. 28. x. de iurep. & aliis Juris Canonici textibus, quibus colligitur, quòd actus non obligatorii, saltem in aliqua ratione firmantur & servandi sunt, si eis adjectum est juramentum, ex causa reverentiæ Divini Nominis, sed reverentia Divini Nominis non stringit, ubi Deus non est vocatus testem, sed tantum fides hominis interposita, & sic tantum agitur de reverentia & honore jurantis, ut fit per formulam, bey meinen Edelichen Ehren/ Treu/ und Glauben etc. ergo hæc verba juramentum non continent, neque illi æquivalent, nec actus aliàs invalidos in vim juramenti valere faciunt. Confirmatur:

Jura requirunt juramentum, in suo proprio sunt intelligenda: sed bey meinen Edelichen Ehren etc. in sensu proprio non significat juramentum, seu invocationem Divini Nominis in testimonium: ergo, quidem haud gravatè admitto, quod violatio fidei, sub dicta formula majorem contineat turpitudinem, quàm violatio simplicis promissionis perjurium tamen planè non potest deprehendere in tali violatione promissionis sub fide Nobili factæ.

Dixi tamen I. penitus Juramentum non æquivalcat; quamvis enim aliqui actus possint, & soleant in quibusdam locis tribui huic formulæ, quæ conveniunt juramento, v. g. quæ majorem tribuat firmitatem verbi

vel actui, assertioni, vel promissioni, quam habent per se & ratione sui, quod loco juramenti veri accipiatur à parte, cum qua negotium geritur, vel à Judice, qui testimonium recipit sub tali fide depositum &c. quod non observans promissionem, taliter factam, puniatur gravius, obligationem tamen Religionis, juramento peroniam, non parit, neque perjurum condituit, qui falsum sub hujusmodi formula asserit, vel promissum non observat, neque ut talis puniri potest, neque subest relaxationi Superioris Ecclesiastici vel jurisdictioni, uti juramentum verum.

Dist. II. *Per se*; nam per accidens, & vel ex erronea intentione adhibentis talem formulam, & pro vero juramento habentis, vel ex communi persuasione alicujus Communiratis aut loci, per hæc verba verè jurari & DEUM in testem vocari existimantis, vel intendentis, posset habere rationem veri juramenti. Interim tamen hoc probari deberet, nec facile poterit; cum homines apprehensis ritè terminis & vocibus vix apprehendere possint vel existimare, sub iis comprehendendi invocationem DEI in testem; neque credibile est, quòd in locis, ubi apud Nobiles & honestioris conditionis Personas hæc formula loco juramenti ex consuetudine introducta est, mens fuerit, vel adhuc sit, verum juramentum præstandi per hæc verba, si enim voluissent hoc, aut vellent, formulam veri juramenti reliquissent immutatam, qualis adhibetur

ab inferioribus personis. Credebant igitur, & adhuc credunt, atque credi volunt, quòd etiam non præstito verò juramento, per quod DEUS vocatur in testem, sed sola sua fide interposita, æquè parùm fallant ejusmodi Personæ egregiæ, ac aliæ juramento verò interposito.

Remove nunc oportet adversantia argumenta. *Primum* ex c. ad aures nobis potius, quam adversariis favet; cum fides interposita à juramento videatur contradistingui; sicut enim renuntiatio firmatur per juramenti seu Religionis obligationem adjectam; ita & firmatur suo modò per fidei seu fidelitatis obligationem adjectam; nam sicut Religio, ita & fidelitas, specialis est virtus, ad firmandum aliquem actum idonea. *Secundum* idèd non stringit, quia violatus honor Principis, sub cujus fide inita est transactio vel alius contractus, pari pœna vindicari utique potest cum violatione honoris DEI per non observatum juramentum, quin tamen promissio vel assertio, per fidem Principis firmata, verum sit juramentum, & contraventio verum perjurium. Adde, quòd non videatur esse in potestate Imperatoris æquiparare juramentum, quod fit essentialiter interposita DEI auctoritate, & fidem suam verbis adjectam, & ut hæc illi æquipollet in se. Cæterum longè aliud est affirmare, vel promittere aliquid *per salutem Principis*, quæ verba forsitan possunt constituere juramentum execratorium implicitum, & aliud *sub fide Nobili &c.*

Z z 3

Tertium

Tertium enervatur ferè simili responso; quamvis enim in Germania consuetudo habeat, ut Nobiles in quibusdam casibus non iuramentum corporale aut formale præstare debeant, sed loco iuramenti utantur dictâ formulâ, *hey adelichen Ehren* &c. ita ut etiam aliquos effectus, iuramento aliàs competentes habeat hæc formula, v. g. ut valeat contractus vel renuntiatio, quæ aliàs iuramentum requirit ad sui valorem, vel ut simili pœna puniantur contravenientes; quamdiu tamen non probatur, ut nec probari potest, tali formula utentes velle per eam DEUM vocare in testem, tamdiu iuramentum non est, nec verè & propriè æquiparatur iuramento, ita ut contravenientes perjuri fiant, vel perjurii pœnam incurrant, vel contra Religionem peccent, vel sic dicendo actum Religionis exerceant, sicut verè jurantes in veritate, iustitia, & iudicio. Imò ipse Gail adversarius n. 5. cum Felino & Glossa in c. penult. de iurejur. V. quod promissit. fatetur, comparationem fidei & iuramenti non procedere quoad paritatem pœnæ, & fortius puniri violatorem iuramenti, quàm fidei.

Quartum recipit distinctionem: Si ad aliquem actum de Jure vel consuetudine requiritur iuramentum verum, uti ad renuntiationem hæreditatis paternæ requiritur de Jure Canonico, formula *an Nyds / Statt* non sufficit, nisi deferens iuramentum velit hæc formula esse contentus; sicut etiam de Jure Saxonico ad dictam filio-

rum Nobilium renuntiationem sufficit dicta formula; ratio, quia iuramenti forma à Jure præscripta, in Judiciis recepta, non impletur æquipollentia. Max. p. 1. decis. 1. 4. Schrad. de feud. p. 10. n. 247. Harms. stor. l. 4. q. 6. n. 3. Kellenbenz de renuntiat. success. q. 3. n. 6. seqq. Carpzov. const. 16. def. 6. Jurisprud. for. Si verò quæstio sit de sola fide & obligatione negotii, sub illa contestatione gestæ confirmati: altera distinctio est adhibenda: Vel enim ex consuetudine loci formula hæc, *an Nyds / Statt* quid asserentes vel promittentes intendunt, aut intendere præsumuntur vocato DEI nomine, & sic iuramentum, sua firmare dicta? & omnino rari censendi sunt, & hæc formula (utpote *in vim* iuramenti, non *in loco* iuramenti adhibita) æquiparatur vero iuramento, tam pro conscientia quàm pro foro exteriori obligans in virtute Religionis, minus ac formale iuramentum, non intendunt per hæc verba, consuetudinis non præsumuntur auctoritate DEI sua firmare dicta, hæc formulam *loco iuramenti* adhibent (uti ipsa verba, *an Nyds / Statt / indicant*) tunc verum iuramentum non continent, obligans in virtute Religionis; quod enim adhibetur vice & loco alterius, v. g. pecunie, frumenti, equi &c. pecunie, frumenti, equus non est: & non iurare non censentur, nec utuntur tali formula contrahunt obligationem Religionis iuramento propriam.

Germaniæ Judicis ex communi consuetudine dicitur hæc formula, *an Wils Statt / in vim juramenti, & non precisè loco juramenti adhiberi, adeoque implicitum continere juramentum, ita ut contraveniens æquè incidat in perjurium, ac si juramentum formale & explicitum violasset; eo quod taliter firmans sua dicta tacite DEUM in testem invocasse censetur.* Stryck. in usu mod. Pand. lib. 12. tit. 2. §. 14. Gerbet lo. cit. n. 26. cum Colero, Mey. Wesenbec, Extra Judicia res inde pendet, an tali formula utens intendat tacite DEUM invocare in testem, vel an eum in finem deserat hæc formula, ut aliquis per eam idem faciat tacite, quod alia per formale juramentum, scilicet DEUM in testem vocet, saltem tacite; quod meo quidem iudicio præsumendum in dubio non est. Multò minus, quando solùm adhibentur vel exiguntur verba, *hey meinen Adelschen Ehren / Trauen / und Glauwen* / cum ex se minus exprimant vel includant interpositionem autoritatis Divinæ.

Quantum tunc demum procedere possit, quando ex circumstantiis vel consuetudine probaretur, per hujusmodi formulas ex mente utentium tacite invocari Divinum Numen in testem; quod planè verba non significant per se, imò non facile probabitur, quòd vi consuetudinis vel circumstantiarum id significant.

Sextum eodem ferè modo expeditur; quamvis enim Principum fides debeat esse specialiter firma & immobilis, tamen ejus interpositio non est per se Divini Numinis in testem invocatio.

Septimum æquè parùm valet; licet enim Natio Germanica floruerit semper præ cæteris Nationibus integritate fidei in assertis juxta illud: *ein Mann ein Mann / ein Wort ein Wort* / & sic Germano sub fide sua aliquid asserenti tam secura fortè fides habetur, ac aliis sub juramento vero aliquid asseverantibus? inde tamen non sequitur, Germanos per fidem suam interpositam verè jurare, aut DEUM vocare in testem intendere.

Octavum nihil omnino probat; quamvis enim gravius mereatur puniri, qui contravenit fidei suæ specialiter interpositæ, cùm gravius delinquat contra fidelitatem, quàm qui simplici promissioni, vel asserto; tamen ut perjurum puniri per se posse negatur, & jam suprà cum aliis negatum est. Ex allegato Canone, si juxta mentem Adversariorum intelligendus esset, inferretur nimium & evidenter falsum; quia sequeretur, inter simplex mendacium & perjurium, ac inter utriusque poenam non dari discrimen; quod est contra Theologos, Canonistas, Doctores plerosque omnes, contra rationem, praxim, & persuasionem communem.